

eo, cui committitur, aut ita, vt contra quid eidem praestetur, pro quo is curam illam in se recipiat. Solent enim doctores haec duo conuentionum genera constituere, quorum altero quis gratis et sine remunerationis expectatione, altero vero ita obligetur, vt, cui quid praestet, eum quoque ad mutuam praestationem sibi habeat obligatum. Conuentiones primi generis dici solent *beneficiae*, quasi quibus beneficium in alterum confertur, alterius generis, quia onus habent adiunctum, conuentiones *onerosae* nuncupantur, uocabulis in scholis receptis, licet librorum nostrorum auctoritate destitutis. Si autem gratis sequester obligari se patitur, videndum erit, quid sit, quod ipsi committatur. Nam, si liber homo est, dubitari potest, vtrum mandatum potius dicendum sit, an depositum? Sed licet in libris nostris *deponi* dicantur liberi homines<sup>n)</sup>, ex eo tamen non statim tuto conficitur, depositionem illam contractum depositi esse, quum latius patere videatur verbum *deponere*, quam contractus illius notio. Et magis mihi conuenire videtur, huiusmodi contractum *Mandatum* dicere<sup>o)</sup>. Res autem quum sequestratur, oritur ex eo aliqua differentia. Nam, si incorporalis est, quae in iure consistit, sequestrari enim omnino etiam iura possunt<sup>p)</sup>,

Manda-

n) Vid. c. *deinde ait praetor* 3. §. *ult.*

D. *de liberis exhibend.* vbi verbum *deponere* improprie intelligi vult

GODDEVS, contra quem disputat HENR. COCCEIVS dicit. *diff. c. 2. §. 2.*

o) Quare puto ipsum COCCEIVM, quem tamen cum aliis sequestrationem in genere per depositum definire diximus (§. 2.), feminarum sequestra-

tionem alia ratione definiisse in c. 1.

§. 7. dicit. *differt.*

p) *clem. vn. de Sequestrat. possess. aut fruct. c. examinata causa* 15. X. *de iudiciis.* Add. DVAREN. *de sacr. eccl. ministr. et benef. Lib. 3. cap. 10.* et BOEHMER. *Iur. Eccles. Protest. Tom. 1. L. 2. Tit. 17. §. 8. pag. 1163.*